Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8134
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek



excitantur est enim digna persona oratio Sed poete
quid quemque deceat ex persona iudicabunt Nobis autem
personam imposuit ipsa natura magna cum ex
cellentia prestantiaque animantium reliquorum Quo
circa poete in magna varietate personarum etiam
viciosis quid conveniat aut deceat videbunt Nobis
autem cum a natura constantie moderationis temp
antie verecundie partes date sint cumque eadem na
tura doceat non negligere quemadmodum nos adversus homines
geramus efficitur ut et illud quod ad omnem ho
nestatem pertinet decorum quam late fusum sit appareat
hoc quod spectatur in unoquoque genere virtutis
Ut enim pulchritudo corporis apta compositione membrorum
movet oculos et delectat hoc ipso quod inter se omnes
partes cum quodam lepore consentiunt sic hoc decorum quod
elucet in vita movet approbationem eorum quibus
cum vivitur ordine et constantia moderatione dicto
rum omnium atque factorum Adhibenda est igitur quedam
reverentia adversus homines et optimi cuiusque et re
liquorum Nam negligere quid de se quisque sen
tiat non solum arrogantis est sed etiam omnino
dissoluti Est autem quod differat in omni ratione
habenda inter iustitiam et verecundiam Iustitie partes
sunt non violare homines verecundie non offendere
in quo maxime perspicitur vis decori His igitur expo
sitis quale sit id quod decere dicimus intellectum puto

Via officii quod a decoro manat
et utilitas